



**Commentariorum ac disputationum, in tertiam partem divi
Thomae tomi quinque**

Priorum vigintisex Quaestionum eius Partis expositionem complectens

Suárez, Francisco

[Köln], 1617

Dis[p]vtatio XIV. Quid potuerit à Deo assumi per quamcunque vnionem
hypostaticam possibilem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93775](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93775)

mediatibus quibusdam iustis, in quibus presulgerent quedam insignia futura sanctitatis. Et propter hoc etiam in populo, ex quo Christus erat nasciturus, insinuat Deus quadam sanctitatis signa, quae inceperunt in Abraham, qui primus promissionem accepit de Christo, & circumcisionem in signum fœderis consummandi, ut dicitur Genes. 17.

COMMENTARIUS.

Respondet D. Thom. affirmando, & congruentiæ quas adducit, sunt optimæ. Argumenta autem in contrarium facilia sunt, & ideo nihil in explicanda littera immorari oportet. Rem vero ipsam tractabimus infra, quæstio. 31. ubi de Christi genealogia, eiusque conceptione differitur.

DISPUTATIO XIV.

In quatuor sectiones distributa.

Quid potuerit à Deo assumi per quamcumque unionem hypostaticam possibilem.

Noniam ea, quæ pertinent ad naturam assumptam per incarnationem iam factam, & facilia sunt, & cum his conexa, quæ sequenti quæstione tractat D. Tho. ideo illorum disputationem differimus, & hanc de possibili præmittimus, quæ non nihil etiam conferret ad intelligendum ea, quæ iam facta sunt. Quatuor vero sunt quæ hic possunt in disputatione venire. Primo, supposito creati, seu natura in proprio supposito existens. Secundo, natura integra substantialis. Tertio, partes ei. Quarto, accidentia, præter hæc enim nihil est in rebus creatis, de quo hic disputari possit. De natura autem, vel persona creata nihil dicendum est, cum per se notum sit non posse assumi.

SECTIO I.

Utrum natura existens in propria persona potuerit assumi.

SUPPOSITIS variis sensibus huius quæstionis, quos circa articulum secundum D. Thom. explicauimus, duo sunt certa. Primum est, personam creatam formaliter, & ut persona est, non esse assumibilem in quo cōueniunt omnes Doctores in 3. d. 1. & 5. Scotus in quodlibet. q. 19. art. 3. Aureol. apud Capreol. in 3. d. 5. artic. 2. in arg. con. 2. conclusionem. Est enim clara implicatio contradictionis, quia vel persona in suo conceptu formaliter includit negationem existendi in alio ut in supposito, ut Scot. & alij volunt, vel certe includit modum per se existendi incommunicabiliter, ex quo modo immediate oritur illa negatio: & ideo illi modo directe repugnat in alio esse, seu ab alio terminari, est enim manifesta implicatio contradictionis: sicut in accidenti, quamuis possit Deus accidens per se constituere, tamen quod ipsa actualis inhaerentia accidentis in subiecto per se sit, est manifesta repugnantia, quia ille modus inhaerentiae includit formaliter, vel radicaliter negationem modi essendi per se, & hac ratione dicitur personam ultimam terminum naturæ, quia in suo conceptu includit, ut persona per illam constituta in se & per se sit, cui directe repugnat, quod ab alio sustentetur, vel assumatur. Præterea hac ratione non potest esse unio substantialis inter duas personas, quia non potest fieri ex illis una persona, & ideo etiam neutra potest aliam assumere. Confirmatur, quia, ut supra dicebam disp. 11. sect. 3. de ratione personalitatis est incommunicabilitas, imo ad hoc potissimum poni videtur, ut ita terminet naturam, quod eam sic terminatam reddat incommunicabilem, & ideo dicitur esse ultimus naturæ terminus: ergo est aperta

Fr. Suarez, Tom. 1.

A implicatio, talem terminum amplius terminari, seu constitutum per talem terminum, alteri hypostati- ce vniri. De ratione enim huius termini, ut supra dicebam, non est, quod sit incommunicabilis naturæ, ut sic, nam potius est modus ac terminus eius: est ergo incommunicabilis personæ, interminabilis altero simili termino. Sicut etiam linea non potest terminari alia linea, nec punctus alio puncto, nec vnum ubi formaliter alio ubi, nec una actio alia actione: & in vniuersum una forma non potest suum veluti formalem effectum, per aliam formam recipere, ut calor fieri nequit calidus alio calore: ita ergo nec personalitas ut sic potest alia personalitate personari seu terminari.

Secundo est certum, naturam præexistentem in propria persona posse assumi, si per assumptionem, & unionem ad aliam personam, priuetur propria personalitate: hoc videtur per se euidentius, quia non inuoluit maiorem repugnantiam, si assumatur natura præexistens in propria persona, priuetur personalitate propria, quam quod à principio assumatur, impediendo personalitatem propriam; illa enim unio, quæ impedit personalitatem propriam, potest etiam formaliter expellere præexistentem: virtus autem Dei, cum sit infinita, non minus potest effectiue expellere præexistentem personalitatem, quam, ne sequatur, impedire. Et confirmatur, nam potest Deus accidens prius inhaerens in subiecto priuare modo inhaerentiae, & per se constituere, & humanitatem iam existentem in Verbo, posset priuare modo unionis: & propriam personalitatem illi conferre, ergo & est contrarium. Neque ullam rationem video, quare possit de hoc dubitari: quanquam Diuus

D. Thom. Thom. 4. contra gent. c. 4. videtur contrarium indicare, dicens non posse naturam humanam in propria persona præexistentem assumi, nisi per corruptionem talis personæ, & ideo, inquit, oportuisset illum hominem corrumpi, quia unioni præexistisset, & per consequens humanam naturam in eo existentem. Sed hæc ratio parum concludit, oportuisset enim personam corrumpi, seu finire esse formaliter quoad modum personalitatis, inde tamen non fit, ipsam humanitatem quoad substantiam suam corrumpi, sed mutare tantum modum existentis: sicut est contrarium, si Verbum nunc dimitteret humanitatem, destrueretur in humanitate modus unionis, non tamen substantia ipsius naturæ. Vnde etiam proprie, & in rigore non sequitur necessarium fore, tunc corrumpi hunc hominem, sed tantum hanc personam humanam, ut ex supra dictis disputationibus 13. constat. Et ita existimo D. Tho. hic art. 2. mutasse sententiam, non enim dixit impossibile esse humanitatem præexistere in propria persona, sed dicit frustra id futurum fuisse.

Tercio est certum, ad humanitatis assumptionem ex natura rei sequi, ut propria personalitate priuetur, & hoc, ut minimum, probabunt rationes statim adducendæ. Quod etiam sufficienter persuadet incarnationis mysterium. Cur enim priuata fuisset Christi humanitas propria personalitate, nisi id saltem ex natura rei, ad assumptionem esset consecutum? Tandem humanitas ipsa, cum limitata sit, propria personalitate adæquate terminatur: ergo saltem ex natura rei non admittit aliam: ergo hoc ipso quod ei datur alia, ex vi illius actionis consequitur ut altera priuetur.

Quartum ergo disputandum relinquatur, utrum natura terminata propria personalitate possit assumi conseruata propria personalitate, ita ut nec personalitas assumatur, sed sola natura, nec tamen corrumpatur, sed concomitanter maneat terminans eandem naturam. Sicut natura diuina, cum per æternam generationem communicatur Filio, in illo terminatur propria Filij personalitas, non amittendo personalitatem Patris: vel sicut, si eadem hu-

Dd 2 mani

manitas, quæ nunc est assumpta à verbo, conseruata vnione assumeretur etiam à Patre. Et hoc exemplū est, quod difficile reddit hanc quaestionem, quia eadem natura existens in vna persona aliena, potest assumi & terminari in alia, non amittendo priorem personalitatem, ergo eadem ratione natura existens in propria persona, potest assumi, & terminari ab aliena persona, conseruata propria personalitate. Quam illationem ita constantem existimauit Scot. in 3. d. 1. q. 2. vt ne concederet consequens, negauerit antecedens, & ex contradictorio antecedentis intulerit contradictorium consequentis. Alij vero, qui nullam etiam sufficientem rationem differentie assignari posse existimant, de presenti quaestione opinantur, non esse impossibile eandem naturam simul esse in supposito proprio & alieno, sicut non repugnat simul esse in duobus alienis, vel sicut eadem natura diuina simul esse potest in tribus proprijs, nulla enim hic specialis contradictio assignari potest. Quam sententiam nō inuenio apud aliquem autorem, solum audiui doctos aliquos viros ita sentientes, & publice docentes, & reuera non possunt ratione conuincente impugnari.

Contraria vero sententia est communis Theologorum, supponentium eam magis, quam probantiū vt videre est in Scoto supra, & Durand. 1. q. 3. ad 2. Palud. q. 3. art. 2. Marfil. in 3. q. 2. art. 3. dub. 1. ad 5. Capre. d. 1. ad 1. Scoti contra secundam cōclus. Caiet. supra q. 3. artic. 6. Palacios in 3. d. 1. disp. 3. ad finem, Henric. quodlib. 6. q. 7. qui tamen in assignanda ratione, & implicatione contradictionis multum inter se discrepant. Prima sumitur ex Scot. quia natura creata non potest simul esse in multis personis, vel quia finita est, vel quia pender à personis in quibus existit, & non potest simul pendere à multis. Sed hæc ratio supponit falsum, & supra soluta est, cum definiuimus eandem humanitatem posse simul assumi à duobus personis diuinis cuius contrarium illa ratio probaret, si efficax esset. Et ideo alij autores conantur repugnantiam ostendere, assignando differentiam inter naturam terminatam propria personalitate, & assumptam à verbo.

Secunda ergo ratio ex Caietano fit, quia natura assumpta terminatur ab aliena persona intensiue, non tamen extensiue: at vero per propriam personalitatem terminatur intensiue, & extensiue, & ideo hæc personalitas propria non admittit consortium alterius personalitatis. Sed hæc ratio nisi aliud addatur, potius est petitio principij quā probatio, per illa enim verba nihil aliud fit, quam obscurius repetere ipsam conclusionem: dicere enim naturam terminari personalitate propria intensiue, & extensiue, nihil aliud est, quam dicere ita terminari, vt nō possit simul ab alia persona terminari: hæc autem est assertio, cuius rationem indagamus. Addit ergo Caietanus naturam existentem in propria persona, constituere illam vi suā, quia secum affert propriā personalitatem, velut à se manantem: & ideo nō potest hoc modo constituere, nisi vnā personam: vnde fit consequens, vt dum ita subsistit, nō possit ab alia persona assumi, quia sequitur implicatio contradictionis, nimirum, quod esset vna persona, & non esset vna persona cum assumente. Sed neque vim huius rationis satis percipio, quia ex illa solū habetur, naturam creatam solum posse constituere vnā personam, tanquam propriam, & connaturale principium, atq; adeo vt sibi intrinsecam, & connaturale. Quod vero natura cōstituens hoc modo vnā personam, non possit assumi vt alio modo componat eam assumente aliam personam humanam, non potest illa ratione concludi: quia hoc posito non sequitur illa contradictio, sed tunc esset vna persona connaturalis, & alia assumens, & persona assumens esset vna & eadem cum persona composita resultante ex vnione, seu assumptione, quod solum est de intrin-

A sed ratione vnionis hypostatice, non tamen esset vna & eadem cum persona, quæ concomitanter tantum supponitur assumptioni, quod nō videtur esse contra rationem vnionis hypostatice: vt suo modo patet in casu supra posito de natura assumpta à duabus personis.

Et ideo addit vltimè Caietan. ex illo modo quo humanitas terminatur propria personalitate, sequi vt, dum sic terminata est, non possit assumi: quin assumatur talis personalitas, propter naturalem connexionem, quam inter se habent: hoc tamen non sequitur, quādo natura est terminata in aliena persona, quæ est quodammodo extrinseca, & non connexa cum ipsa natura. Sed adhuc non cogit ratio, quia cum personalitas sit, vel res, vel modus extrinseca rei distinctus, nihil videtur repugnare humanitati assumi, quæ est capax assumptionis, manente personalitate non assumpta, quia est incapax talis assumptionis: sicut supra dicebamus naturam vnici vni personæ posse assumi ab alia, non assumpto modo vnionis cum priori persona, quia ille modus est inassumptibilis, & licet sit in ipsa natura, tamen distinguitur ab illa ex natura rei. In Trinitate etiā videmus, eandem naturam vltimo terminatam in persona Patris, rursus terminari per relationem Filij, quamuis vna personalitas non terminet personaliter aliam: ad hūc ergo modum potest facilius intelligi, Verbum assumere, & terminare naturam personatam, & non personalitatem eius, cum inter hæc sit distinctio ex natura rei, quæ non reperitur inter essentiam, & personalitates diuinas.

Præterea, licet in eodem Christi corpore sit presentia localis in celo, & sacramentalis in Eucharistia & vnaqueq; afficiat Christi corpus, illudq; faciat aliubi presentem, tamen neutra afficiat alteram, neq; facit presentem, quia & ex natura rei distinguuntur à corpore & inter se habent oppositionem, neque vna est capax effectus formalis alterius: atque idem erit quotiescunque opposita vel disparata in eodem tertio coniuncta fuerint, vt si albedo & nigredo essent in eodem subiecto, illud quidem efficerent, inter se autem nihil communicarent quoad suos effectus formales: sic ergo esset in presenti calu, si subsistentia propria & aliena eandem naturam terminarent, non ideo sequi quod vna alteram afficeret aut terminaret. Ratio deniq; à priori est, quia posset natura pendere à pluribus & singulis personalitatibus, licet vna personalitas ab alia non penderet: quia neq; vna personalitas indigeret alia, neq; haberet in fluxu vltimum vel habitudinem ad illam, sed mere concomitanter se haberent.

Quare addit vltimo Caietanus, personam diuinā esse infinitam, & supra capacitatem naturæ humanæ, personalitatem autem creatam esse finitam, & quasi adæquatam ipsi humanitati. Sed hoc nihil ad presentem quaestionem referre video, quanquam enim humana natura existens in propria persona sufficeret, & adæquate terminetur, ita vt neque natura sua appetat aliam personalitatem, neq; habeat naturalem capacitatem eius, non inde fit, implicare contradictionem, vt supra naturam excellentiori modo terminetur per infinitam personam Verbi. Cur enim non dicemus hoc posse Verbum propter infinitatem suam? Et enim cum persona Verbi non solum adæquate, sed etiam excellenter terminet naturam humanam, & nihilominus possit simul terminari ab alia persona, cur eadem natura licet adæquate terminetur propria personalitate, non poterit simul terminari ab excellentiori persona.

Tertia ergo ratio sumitur ex Durando & Capreolo, scilicet, quia vna natura non potest simul terminari duabus personalitatibus, quæ nō tantū in propria ratione personalitatis, & incommunicabilitatis, sed etiam in ratione subsistendi distinguantur, quia non potest vna natura, nisi vnica subsistentia subsistere: & ideo

Scotus.
Durand.
Palud.
Marfil.
Capreol.
Caiet.

& ideo natura diuina potest tribus relationibus terminari, quia illa non distinguuntur in ratione subsistendi, sed in sola incommunicabilitate, & propter eandem causam potest eadem natura creata eisdem relationibus diuinis simul terminari, non vero potest simul terminari, propria personalitate, & diuina quia hæc non solum in incommunicabilitate, sed in ratione subsistendi distinguuntur. Sed hæc ratio primum supponit falsum, quia relationes diuinæ reuera distinguuntur in propria ratione subsistendi, & quamuis conueniant in communi, & absoluta subsistentia, possunt tamen proxime & immediate assumere eandem naturam, & terminare illam, solum per proprias subsistentias. Deinde non ostendit repugnantiam, cur non posset eadē natura pluribus subsistentiis subsistere, vel proprijs, vel alienis: vel altera propria, & altera aliena, sicut potest ignis simul esse calidus duplici calore, altero innato, altero aduētitio.

Quarta ratio sit, quia natura existens in propria persona, existit existentia creata, in persona autem Verbi existit existentia increata, repugnat autē eandem naturam simul existere per creatam & increatam existentiam. Sed hæc ratio, & falsum supponit, quia natura nunquam existit extra causas, nisi per existentiam creatam: & illo admissio non ostendit, cur repugnet, eandem naturam illis duabus existentijs simul existere, vel enim repugnaret solum, quia duæ sunt, & hoc non, alias nec posset eadem natura simul existere duabus existentijs relationis increatis: vel repugnat, quia una est creata, & altera increata, & oportet ostendere specialem implicationē, quæ hinc sequatur, nulla enim apparet.

Quinta ratio additur à quibusdam, quod personalitas propria est intrinseca; & ideo non secum compatitur aliam extrinsecam; duæ autem personalitates cōnaturales & intrinsecæ, ut sunt in natura diuinā, vel duæ etiam extrinsecæ, ut essent respectu humanitatis duæ personæ diuinæ, si illam assumerent, non habent prædictam repugnantiam. Sed hæc ratio ex hoc præcise quod una sit intrinseca, & alia extrinseca, nullam sufficientem repugnantiam declarat. Nam, si intrinsecū dicatur, quod est intime coniunctum, etiam persona assumens naturam est intime coniuncta, & vnio ad illam est maxime intrinseca. Vnde inter vniones ad plures personas esset eadem repugnantia. Item hoc modo duæ formæ inherentes sunt intrinsecæ subiecto, & duo vbi seu duæ presentia; & tamen Deus coniungit hæc, etiam si alioqui disparata sint, vel opposita in eodē subiecto. Si autē intrinsecum dicatur, quod est cōnaturale, extrinsecum vero quod aduētitium est, sicut Deus conseruat in eodem subiecto duas formas, vel duo vbi præter naturalia, & extrinsecā, ita potest conseruare vnum naturale, & aliud aduētitium. Neque hoc refert quicquam ad repugnantiam, si alioqui inter effectus formales talium formarum vel modorum non declaretur repugnantia.

Sexta ratio sumitur ex Paludano, & Durādo, quia personalitas relatiua non excludit consortium alterius personalitatis relatiuæ ab eadē natura, at vero personalitas absoluta excludit coniunctionem, seu consortium cuiuscunq; alterius personalitatis: quia ergo personalitas propria est absoluta, ideo natura, quæ per illam terminata est, non potest per illā personalitatem simul terminari, quia vero natura assumpta ab vna persona diuina, solum per relatiuam personalitatem terminata est, ideo potest simul ab alia persona diuina assumi. Hæc ratio est probabilis, tamen non satis ostendit, cur implicet contraditionem, personalitatem absolutam simul coniungi in eadem natura cum relatiua: quia licet verum sit, personalitatem absolutam esse limitatam, & natura sua non admittere aliam, non tamen inde sequitur, hoc non posse fieri virtute diuina. Nam etiam vna forma natura sua non admittit aliam in eodem sub-

Fr. Suarez, Tom. 1.

A iecto, & tamen Deus potest facere, ut simul existant. Et confirmatur: quia si fieri posset, ut suppositum creatum, v.g. Angelicum terminaret humanam naturam, illo posito, natura humana terminata ab Angelo, posset simul assumi à Verbo, & tamen personalitas Angeli absoluta est. Antecedens quamuis à Palud. consequenter negetur, videtur per se satis clarum, & contrarium non esse verisimile, supposito quod eadem natura potest esse in duplici supposito alieno, quia non potest ibi ostendi specialis repugnantia.

Responderi potest ex Henrico supra, personalitatem relatiuam non excludere consortium alterius relatiuæ personalitatis ab eadem natura per identitatem cum illa, quæ non potest esse cum personalitate absoluta. Sed hoc non videtur referre, nam illa duo supposita relatiua, realiter distinguuntur ab humanitate quæ terminare simul possunt: ergo, quod in alia natura sint idem, nihil refert, cum non terminent per id, in quo sunt idem, sed in quo distinguuntur. Item illa ratio, ad summum probat, duas personas absolutas, vel absolutam & relatiuam, non posse esse cōnaturales eidem naturæ, non vero, quod de potentia absoluta non possint illam terminare, quia ad hoc non est necessaria idéitas personæ terminantis vel assumptis cum natura terminata vel assumpta, ergo omnis alia idéitas est impertinens & per accidens.

Vltima ergo ratio, quæ mihi maxime satisfacit, est, quia propria, & creata subsistentia solum est modus quidam intrinsecus per se existendi, hic autem modus habet formalem, & immediatam repugnantiam cum illo modo vnionis, quem habet natura assumpta in alieno supposito, quia esse per se, & in alio, sunt modi ita repugnantes inter se, ut vnus proxime includat negationem alterius. Quod exemplo sumpto ex alijs modis similibus, bene explicari potest: fieri enim non potest, quod eadem virga simul sit recta, & curua; quia illi modi licet positiui sint, includunt immediatam repugnantiam. Et simili ratione idem accidens non potest simul per se esse, & actualiter inherere, & sic de alijs. Ex hac ratione facile sumitur ratio differentia, cur eadem natura possit simul esse in duabus personis extrinsecis, non vero in propria & aliena: quia scilicet magis repugnant inter se modi existendi per se & in alio, quam duo modi existendi in alio, quia illi duo modi ita se habent, ut vnus includat negationem alteri, isti vero minime, sed sunt prorsus disparati, sicut idem accidens potest simul esse in duobus subiectis, non tamen simul per se, & in alio. Et eadem ratione intelligitur facile, cur possit eadem natura diuina esse in tribus personis, scilicet, quia in omnibus illis est per se, & omnes illæ personalitates sunt veluti modi per se existendi, & non dicunt vnionem ad extrinsecam personam: modi autem per se existendi inter se cōparati, non includunt illam repugnantiam, & negationem mutuam, quam includunt modi, per se & in alio.

Dices, Etiam humanitas assumpta Verbo, per se existit in Verbo, quia in illo subsistit. Cur enim magis dicatur esse per se per propriā subsistentiam quā per alienam, cum ab vtraq; distinguatur, & in vtraque suo modo nitatur vel sustentetur? Nam quod alteri vnatur per modum distinctū, alteri vero non, videtur nihil referre. Respondetur, longe aliter esse naturam in propria persona, & in aliena, nā in propria est quasi sibi ipsi innitens, in aliena est quasi sustentata ab illa, & ideo modus propriæ subsistentiæ, oppositam omnino rationem habet cum modo vnionis. Ac deniq; in hoc sensu natura assumpta non est proprie per se, nec subsistit in se, sed in alio, quod proprie dicitur subsistere in illa.

Potest deniq; hæc ratio, & simul communis hæc Theologorum sententia confirmari ex doctrina, & modo

Dd 3 modo

modo loquendi Conciliorum, & Sanctorum de hoc mysterio: quia enim in Christo Domino facta est substantialis unio hypostatica inter humanam naturam, & diuinam personam: definiunt omnes esse in Christi humanitate vnica tantum personam in creatam, & diuinam, illamque solam in illa humanitate subsistere: sentiunt ergo illum modum unionis humanitatis ad Verbum, repugnare cum persona creata, illamque formaliter excludere: quomodo interdum Sancti dicunt, personam consumpsisse personam, ut supra vidimus. Dicitur fortasse, ex natura rei verum esse illos duos modos inter se repugnare, & hoc satis esse, ut in Christi humanitate non permaneret personalitas creata, non tamen necessariū esse, ut contradictionem implicet. Sic enim in materia de Eucharistia ex praesentia corporis Christi sub speciebus inferunt Concilia absentiam substantiae panis, quia ex natura rei sequitur, licet oppositum non repugnet. Sed hoc mihi non satisfacit quia cum hoc mysterium omnino sit supernaturale, & in eo tota ratio facti sit potentia facientis, si de potentia absoluta fieri potuit, ut humanitas assumeretur sine priuatione suae personalitatis, non esset ratio sufficiens ad negandum ita factum esse, cum illud non repugnet alicui perfectioni Christi, vel huius unionis. Et deinde, quia si illi duo modi ex natura rei repugnant, inde fit (non ratione formae, sed saltem ratione materiae) ut simpliciter, & de potentia absoluta repugnent; scilicet, quia illi duo modi non repugnant ut formae contrariae, sed ut modi proxime includentes negationem mutuam, seu contradictionem, ut explicatum est.

Neque exemplum de Eucharistia est ad rem: quia Concilia non colligunt absentiam panis ex naturali repugnantia cum praesentia corporis Christi, quae fortasse nulla est, sed colligunt ex veritate verborum, quibus fit consecratio, ut suo loco dicitur. Cum qua veritate, supposita significatione verborum, quam propriam & genuinam esse intellexit ac declarauit Ecclesia, omnino repugnat substantiam panis manere cum corpore Christi. Sic ergo in praesente ex locutionibus Scripturae, quibus de Christo Deo homine loquitur ut de vna & eadem persona, intellexit Ecclesia non esse in Christo Domino personam humanam creatam: ergo intellexit veritatem illarum locutionum non posse consistere cum persona creata. At vero, si esset possibile, humanitatem assumptam simul subsistere in propria persona, illae omnes locutiones essent verae: etiam si in Christo esset duplex persona: non ergo habuisset Ecclesia sufficiens fundamentum, ex quo veritatem personae Christi colligeret. Non ignoro coniecturam hanc posse habere probabilem responsionem, nimirum ex illis locutionibus immediate inferri, personam ipsam increatam in humanitate subsistere, quia in Scriptura vel tota fidei doctrina nulla fit mentio alterius personae in illa humanitate subsistentis, hanc esse virtuale exclusionem seu negationem alterius personae: sicut quia non reuelatur nobis nisi tres personae Trinitatis, ibi virtute reuelatur non esse quatuor. Sic ergo Scriptura cum nobis tantum reuelat vnā Christi personam, virtute negat plures esse in Christo personas. Et ad hoc etiam conducit naturalis repugnantia, etiam si de potentia absoluta non esset. Quare etiam oppositam sententiam censco probabilem, quam video doctis viris non displicere: ratio etenim à nobis facta non est demonstratio, sed solui etiam potest. Nihilominus sententia proposita magis probanda videtur, tum quod communis sit, tum etiam quod exstat aptior ad fidei mysterium declarandum; tum demum quod ratione satis probabili suadeatur.

Vnauero superest difficultas, quia haec ratio facta summum probat, humanitatem, in vno & eodem loco existentem, non posse simul habere illos duos

modos existendi: tamen si constituamus humanitatem esse in duobus distinctis locis, nulla videtur repugnantia, quod in vno habeat personalitatem propriam, & per se existat, in alio vero illa careat, & existat in Verbo. Dicit potest primo, humanitatem ita vni Verbo, ut ex vi illius unionis necessario maneat illa vnita, vbicunque existit, idque propter summam Verbi simplicitatem, & ineffabilem modum illius unionis, quae abstrahit ab hoc & illo loco, & fit ad ipsum Verbum secundum se: propter hanc enim causam, quamuis Christus secundum humanitatem localiter moueatur, ipso Verbo secundum se immutato manente semper humanitas, vbicunque existit, manet eodem modo vnita Verbo ex vi eiusdem unionis. Et in mysterio Eucharistiae, per quod humanitas Christi quodammodo in multis locis constituitur, in omnibus est vnita Verbo ex vi eiusdem unionis.

Sed nihilominus hoc mihi non satisfacit, quia licet ex natura rei verum sit, humanitatem vnitam Verbo, vbicunque constituitur ferre secum suam unionem, quia est intrinsecus modus eius, & à loco non pendens: tamen cum hic modus ex natura rei ab ipsa humanitate distinguatur, non videtur implicare contradictionem, ut existente humanitate vnita in vno loco, constituitur in alio quoad substantiam suam, & non quoad modum unionis: sicut non videtur contradictionem inuoluere, quod eadem anima, quae in vno loco est vnita corpori, in alio ponatur sine corpore, & sine modo unionis: & similiter quod idem accidens alicubi inhaereat subiecto, alibi vero sine subiecto sit. Admisso ergo hoc casu, ut possibili, non videtur inconueniens concedere totum id, quod argumentum inuenit: quia illi duo modi non repugnant, nisi respectu eiusdem subiecti, ut habet rationem vnus; at vero humanitas constituta in duobus locis, habet vicem, seu modum duplicis subiecti. Deinde contradictio, seu repugnantia, quae includitur in illis modis, solum est seruatis omnibus circumstantiis ad contradictionem requisitis, & consequenter requiritur, ut sit in eodem tempore, & loco: vnde sicut pro diuersis temporibus non sibi repugnant, ita nec pro diuersis locis videntur pugnare. Quod demum exemplis supra positus declaratur, quia vnum accidens potest in vno loco inhaerere, & in alio per se esse, & vna linea in vno loco esse recta, & in alio curua. Neg. contra hoc video, quod obijci possit, argumentum enim supra factum ex vnitatem personae Christi, & locutionibus Sanctorum, contra hoc non procedit, loquuntur enim de mysterio, ut factum est, nunc autem humanitas Christi, vbicunque est, est vnita Verbo, non quia contrariū implicet contradictionem, sed quia vbicunque est hic homo, est verus Deus: & quia facta unione hoc est illi debitum, & connaturale, & maxime pertinet ad perfectionem eius. Sicut etiam vbicunque nunc est caro Christi, est vnita animae, non quia contrariū implicet contradictionem, sed quia hoc pertinet ad maiorem perfectionem, & est magis connaturale.

Alia hic posset esse quaestio: an possit Deus eandem naturam conseruare in duplici persona, non aliena, sed propria: faciendo videlicet ut natura habeat duos proprios modos subsistentiae. Et ratio dubij est, quia in eis non procedit repugnantia posita, nam per eos non esset per se & in alio, sed per vtrūque esset per se: ergo ex hoc capite non est repugnantia. Nec vero ex sola pluralitate, quia non repugnat has subsistentias multiplicari in eadem natura successiue, posset enim Deus subsistentiam, quam nunc habeo à me auferre, vel aliquo tempore impedire, aliamque loco illius tribuere: ergo etiam simul posset vtramque ponere in mea natura. Tandem accidenti posset simul conferre duplicem inhaerentiam, vel in diuersis, vel etiam in eodem subiecto. Nec vero

hinc

hinc sequitur infinitas in natura, tum quia non esset ille modus subsistendi in pluribus suppositis, proprijs connaturalis, nec debitus, tum etiam, quia non esset per identitatem in illis, sed per unionem. Fateor, me nunc non inuenire in hoc repugnantiam, nec inconuenientiam aliquod, sed fortasse in Metaphysica pressius dubitationem hanc examinabo. Hoc enim loco, non expedit in ea diutius immorari.

SECTIO II.

Verum alia substantialis natura prater humanam sit assumptibilis a persona diuina.

Hic non agimus de natura assumptibili solum ex intrinseca congruentia, sed simpliciter de potestate obedientiae, seu non repugnantia: neque agimus de humana natura, satis enim ex mysterio facto constat, assumptibilem esse. Neque audiendus est error V. Vicleph, quæ refert V. Valden. libro. 1. Doctrinalis Fidei antiquæ, cap. 44. qui asseruit, nullam aliam humanitatem fuisse à Verbo assumptibilem, præter eam singularem, & indiuiduam, quam assumpsit. Est enim hoc plane absurdum, & sine fundamento dictum, quia non est maior ratio, vel repugnantia in vna, quam in alia, cum in substantia, & specie eiusdem rationis sint, & consequenter eandem capacitatem habeant substantialem, vt Verbo vniantur. Et ideo Augustin. 13. de Trinit. cap. 18. vt per se notum supponit, potuisse Verbum assumere humanitatem aliu de, quam ex stirpe Adæ, & ideo de Predest. Sanct. cap. 15. dicit, ex sola Dei gratuita electione, & non ex alio cuius meritis factum esse, vt illa potius humanitas, quam alia, Verbo iungeretur. Itaque in hoc nullus vnquam Catholicus dubitare potuit.

Omissa ergo humana natura, quaestio esse potest, vel de natura superiori, vt est Angelica, vel de inferiori, vt est irrationalis, vel insensibilis natura.

Prima sententia esse potest, negans, Angelicam, seu spiritualement naturam esse assumptibilem. Ita tenet Albericus in 3. distinct. 2. artic. 2. Et fundamentum esse potest quia in natura immateriali suppositum nihil addit supra naturam ipsam, sed ipsa natura per se ipsam formaliter est quo est, & quod est: inde enim fit, non esse magis assumptibilem talem naturam, quam suppositum. Quod fundamentum videtur doceri à D. Tho. 4. contra gentes, cap. 55. ad 4. & 1. part. q. 3. ad 3. vbi generaliter dicit, in separatis à materia, non distinguere suppositum à natura.

Secunda sententia negat, irrationalem naturam esse assumptibilem, nisi aliquem ordinem habeat ad rationalem. Hæc tribuitur Alexand. Alenf. 3. part. q. 2. memb. 7. & Bonau. in 3. distinct. 2. artic. 1. q. 1. Sed his locis non agunt de possibili simpliciter, sed de eo quod maxime decet. Magis hoc innuat idem Alenf. qu. 11. memb. 1. & quæst. 12. memb. 1. artic. 1. Et sequitur ex alia eius doctrina in qu. 7. memb. 2. artic. 1. scilicet naturam non esse assumptibilem, nisi mediante gratia habituali, cuius cum irrationalis natura capax non sit, sequitur neque huius unionis esse capacem. Expressius tenuit hanc sententiam Henric. quodlib. 13. quæst. 5. Carthus. distinct. 2. quæst. 2. art. 3. Picus Mirandul. in Apolog. conclus. 4. & eam vt probabilem defendunt Ricard. distinct. 2. art. 1. quæst. 2. Gabriel. dist. 2. quæst. 2. Marfil. in 3. quæst. 3. Fundamenta infra videbimus.

Dico primo, potuisse Deum assumere, sibi que hypostatice vnire naturam Angelicam. Hæc est D. Th. hic artic. 1. ad 3. & 4. contra gentes, cap. 55. ad 3. & 4. quibus locis Caietan. Ferrar. & alij Thomistæ id docent: & est communior sententia Doctorum in 3. distinct. 2. & sumi potest ex verbis Pauli ad Hebr. 2. Nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahamæ apprehendit; quæ verba clare supponunt, verumque fuisse possibile, gratiam vero Dei erga humanum genus

in hoc commendari, quod in hac vnione humanam naturam Angelicæ prætulit: & hoc modo expostores, omnes & Sancti hæc verba interpretantur. Et confirmatur, quia anima separata mansit vnita Verbo hypostatice, ergo par ratione, &c. Ratio vero à priori sumenda est ex fundamento illi contrario, quod prima sententia fumebat, scilicet etiam in naturis spiritualibus suppositum ex natura rei à natura distingui, quod in Metaphysica, tractando de natura & supposita, sufficienter disputatum est. Vnde quod Ferrar. citato loco dicit, quamuis in Angelis non sit distinctio naturæ à persona, non sequi esse impossibile assumi naturam Angelicam, & priuari sua personalitate, sed solum non esse congruum, non video quomodo intelligi possit. Nam si persona Angeli non distinguitur à natura, ergo personalitas Angeli nihil est præter ipsam naturam, quomodo ergo illa priuari potest? Denique si ad hanc assumptionem non esset necessaria distinctio suppositi à natura, nunquam propter hoc mysterium sancti Patres, & Theologi hanc distinctionem docuissent, & quoad hoc non est maior ratio de natura Angelica, quam humana: & ideo melius Caietan. hinc colligit etiam in Angelis personalitatem distinguere à natura.

Dices. Ergo posset nunc Deus assumere naturam Angeli corrumpeudo personam eius: quod videtur repugnare, quia persona Angeli est incorruptibilis. Respondetur, concedendo primo, posse Deum assumere naturam Angeli præexistentem in propria persona, iuxta supra dicta sectione præcedenti. Secundo necessarium esse, talem naturam priuari personalitate, & consequenter eandem personalitatem, seu personam vt sic, definire esse, iuxta dicta etiam sectione præcedenti: An vero illa definitio dicenda sit corruptio, quaestio est de nomine, magis vero proprie diceretur mutatio quædam in modo existendi salua substantia ipsius naturæ: sicut quando accidens separatur à subiecto, mutat modum existendi, non tamē proprie corrumpitur: quod si inherencia ipsa, vel in nostro proposito ipsa personalitas corrumpi dicatur, non propterea persona Angelica dicenda est corruptibilis, quia ex natura sua non est subiecta huic mutationi, sed solum per diuinam potentiam, illam potest suscipere.

Dico secundo. Simpliciter loquendo, non implicat contradictionem, naturam irrationalem, vel insensibilem vniri Deo hypostatice. Hæc est sententia communior Theologorum in 3. distinct. 2. vbi D. Thom. quæst. 1. artic. 1. & Scot. quæst. 1. artic. 2. Palud. quæst. 1. Durand. quæst. 1. Almai. quæst. 2. Marfil. quæst. 3. artic. 1. Okam. quæst. artic. 3. & 9. Capreol. Caietan. & omnes Thomistæ. Et videtur aperta sententia Augustin. libr. de vera religion. cap. 16. tom. 1. vbi ait, per hoc mysterium demonstrasse Deum, quam excelsum locum inter creaturas habeat humana natura: quod non solum visibiliter: Nam id, inquit, poterat & in aliquo aethereo corpore, ad nostrorum aspectum tolerantiam temperato, sed etiam hominibus in vero homine apparuit: ipsa enim natura suscipienda erat, qua liberanda. Idem sentiunt Tertullianus & Gregorius Nyssen. infra citandi. Et ex his, quæ facta sunt, potest hæc sententia suaderi, primo, quia corpus humanum, & terrenum Verbo vnitum fuit: Dices, fuisse vnitum mediante anima, sine qua vniri non posset, vt expresse affirmat Origen. 2. Periarch. cap. 6. dicens: Non enim possibile erat Dei naturam corpori sine medio, scilicet anima, misceri. Sed contra, nam licet anima dicatur medium vt quo, seu in ordine intentionis, non tamen fuit medium physice, vt ita dicam, seu in ordine executionis, vt quaestione sexta explicabitur: Verbum enim ipsum immediate fuit vnitum corpori, & materię secundum se, quamuis in ordine ad animam, & propter animam. Deinde in triduo mansit corpus sine anima, & tamen vere ac substantialiter mansit vnitum hypostati-

Verbo, ergo informatio animæ non erat simpliciter necessaria ad hanc unionem. Vnde illa verba Origenis, vel rejicienda sunt, vel pie explicanda secundum quandam congruitatem. Sed respondent aliqui, etiam corpus fuisse unitum mediante anima, per dispositionem, quæ in illo mansit. Sed hoc nihil refert, quia in corpore non manent, nisi vel accidentia, quæ per se non referunt ad unionem hypostaticam, ut ex supra dictis patet, vel ordo aut habitudo ad animam, quæ in corpore fuit, & postea iterum futura erat per resurrectionem, quæ potius est habitudo rationis, vel denominatio extrinseca, quam aliquid intrinsecum ipsi corpori; ergo intrinsece ipsum corpus ratione suæ substantiæ fuit capax huius unionis, ergo pari ratione quælibet natura substantialis habet eandem capacitatem. Tertio hoc suadet, quia sanguis, & alij humores, ut infra dicitur, sunt uniti Verbo hypostaticè, cum non informantur à nimia iuxta probabilioris sententiam, ergo eodem modo poterat assumi quælibet alia substantialis natura inanimata. Quod si dicatur, sanguinem esse assumptum, ut partem pertinentem ad veritatem humanæ naturæ: hoc quidem referre potest ad congruitatem, seu decentiam unionis, non vero ad capacitatem simpliciter, quia hæc est intrinseca ipsi substantiæ, quæ unitur: & proxime oritur ex hoc, quod est natura capax substantiæ. Vnde arguitur quarto (& hæc est propria ratio conclusionis) quia unio hypostatica proxime, & per se terminatur ad substantiam, sed quælibet natura substantialis est capax substantiæ, ergo est capax huius unionis. Denique nulla contradictio, vel repugnantia potest vel probabiliter ostendi, ut patebit obiectionibus satisfaciendo.

Obiectio.

Respon.

Prima obiectio est, quia irrationalis natura non est apta ad constituendam personam, ergo non potest in diuina persona subsistere. Respondetur, personam & suppositum non differre in modo incommunicabiliter subsistendi, sed solum differre in dignitate naturæ, quia persona dicitur illi modum subsistendi, quasi extrinsece limitatum, & contractum ad naturam rationalem. Quocirca respectu huius unionis hypostaticæ nihil refert, quod terminus per illam res ultas denominetur suppositum, vel persona, hoc enim pendet ex conditione tantum naturæ assumptæ: per se vero solum necessarium est, ut sit unio in substantiæ: & ideo omnis natura capax substantiæ, est capax huius unionis. Ex quo expeditur facile, quod à quibusdam queri solet, si Verbum uniretur naturæ irrationali, an uniretur in ratione personæ, ut Okam supra contendit, vel tantum in ratione suppositi, ut alij volunt. Dicendum est enim, quod Verbum in eo casu uniretur tali naturæ per suam personalitatem, sicut nunc unitur sanguini, vel sicut uniebatur cadaueri in triduo: compositum tamen resultans ex illa unione, licet esset suppositum talis naturæ, ut sic tamen non denominaretur persona, quia illa natura non esset rationalis, sicut cadauer Christi, ut sic non erat persona, quanquam illud idem suppositum, ut subsistit in natura diuina, persona sit.

Obiectio.

Respon.

Secunda, & communis obiectio est, quia natura irrationalis non est capax unionis diuinæ, neque alius operationis diuinæ, ergo nec diuini esse, quod per hanc unionem communicatur: cum enim esse sit propter operari, teste Aristotele, quod est incapax operationis alius naturæ, est etiam incapax esse, seu substantiæ talis naturæ. Vnde Damasc. lib. 3. de Fide c. 17. dicit, carnem Christi simul cum diuina substantia actiones diuinas participasse. Et c. 18. Mens, inquit, sapientia, & operatione destituta, nulla unquam esse queat, nam si torpida, atque immobilis est, nec quidem omnino est: Respondetur negando consequentiam: quia visio beata non est propria operatio consequens hanc unionem, communicatur enim sine illa, & per se, ac ex

A natura sua solum in gratia fundatur: est enim gratia participatio diuinæ naturæ, cui respondet participatio diuinæ operationis. Unio vero hypostatica, si proprie ac physice loquamur, non habet operationem hoc modo propriam, quia gratia unionis non est formalis communicatio ipsius naturæ diuinæ, quæ est principium operationum diuinarum: sed est communicatio substantiæ diuinæ, quæ constituit personam operantem, non vero est principium formale operandi. Debetur autem naturæ assumptæ, ratione huius unionis, perfectus modus operandi iuxta ipsius naturæ capacitatem, & consequenter debetur gratia creata, & visio Dei, si natura sit capax eius: non tamen sunt hæc perfectiones accidentariæ, simpliciter necessariae ad hanc unionem, ut supra quæ dictum est, & in sequentibus sapientius dicitur. Cum ergo dicitur esse communicari propter operationem, proprie, & formaliter intelligendum est de esse naturæ seu essentiali, & de esse existentia, quod est proprium operationis naturæ: esse autem substantiæ, proxime, & intrinsece solum est propter subsistendum, remote vero, & extrinsece potest ordinari ad operandum, iuxta naturæ capacitatem: & ita posset Deus, si assumeret irrationalem naturam, illam eleuare ad actiones miraculosas, quas Dionysius, & Damascenus diuinas vocant: quamvis hoc etiam extrinsece sit ipsi unioni, & ex voluntate Dei pendeat. Cur autem irrationalis natura sit capax huius unionis, non autem visionis beatæ, cum tamē illa sit maior perfectio, quam hæc: tractatum est supra disput. 9. sectione secunda. Ratio enim est, quia hæc unio ordinatur ad quandam substantiæ seu substantiæ compositionem, & ideo capacitatis eius solum fundatur in communione naturæ substantiæ: visio vero est operatio vitæ, cuius sola natura intellectualis est capax per facultatem, quæ non consequitur naturam substantialem ut sic, sed certum gradum eius.

Tertia obiectio est, quia natura irrationalis est incapax sanctificationis, propter quod est etiam incapax gratiæ habitualis. Respondetur, in hac voce sanctificationis posse multa includi, quæ faciunt sensum ambiguum, & æquiuocum: ut infra quæ. 7. latius exponam. Si ergo nomine sanctificationis intelligatur relictio aliqua, & perfectio in actibus studiosis, vel meritorijs, seu liberis: non est de ratione huius unionis, ut conferat hanc sanctificationem cuiusque naturæ, sed solum naturæ liberæ, & capaci illius: non est enim hic effectus quasi formalis huius unionis, sed solum ex illa resultat iuxta naturæ capacitatem. Si autem nomine sanctificationis intelligitur deificatio quedam naturæ assumptæ, per intimam unionem, & præsentiam diuinæ personæ, sic omnis natura unita Verbo Dei, etiam si irrationalis sit, est deificata, & sanctificata: vnde & speciali adoratione digna est ratione unionis, & ut dictum est, illi debetur perfecta operatio iuxta suam capacitatem.

Quarta obiectio, quia videtur per se indignum, & indecens diuinam personam, ut his imperfectis, & inferioribus naturis uniat: quod autem huiusmodi est, absolute repugnat fieri à Deo, qui summa prudentia, & sapientia omnia operatur. Quæ ratio fundata est in Anselmo. lib. 2. Cur Deus homo, cap. 4. & 5. Respondetur primo solum probari hoc argumentum, quod Diuus Thomas supra dixit, non esse in natura irrationali intrinsecam congruentiam, ut assumatur, & ideo Deus nunquam aliquid huiusmodi assumpsit, nisi in ordine ad rationalem naturam. Secundo vero dicitur, quamuis natura irrationali desit hæc congruentia, non tamen propterea esse vere, ac proprie indecens, ut assumatur, quia si Deus hoc faceret, contra nullam virtutem faceret, nec deesset illi modus & ratio, propter quam decenter, & sapienter id faceret: ad ostendendam verbi gratia potentiam suam, & sapientiam humanam confundendā, ut in

total. ut in simili dixit Tertullian. in libro de carne Christi cap. 4. arguens contra Marcion. qui Deo indignū indicabat, ut de femina carnem assumeret: *Hoc enim, inquit Tertullian, ita videbitur, si res humano sensu ponderetur, non autem si diuino, quia stulta mundi elegit Deus, ut confundat sapientes. Et idem esset, inquit, si de lupis, seu de vacca prodire voluisset. Et ad eundem modum loquitur Gregorius Nyssen. in oratione magna catechetica, cap. 27. ubi inquit, posse Deum sine indecentia, quam contra naturam sumere, quia omnes à Deo infinite distant, unde respectu illius fere nihil inter se distant. Quamuis negandum non sit, in vna natura maiorem congruentiam reperiri, quam in alia; ut diligenter consideranti non apparet obscurum.*

Grig. Nyl. Ultima, & obscurior difficultas in hac sententia est, an hæc vniō ad irrationalem naturam, sit possibilis ratione soli⁹ materiæ, vel etiam ratione formæ, seu totius naturæ cōpositæ ex materia, & forma. Et est ratio dubitandi, quia forma huiusmodi naturæ non est forma subsistens, cum in suo esse pendeat à materia, tanquam à sustentante: ergo illa non est capax huius vniōis, quæ tantum est ad subsistendum ergo vniō solum potest fieri in materia, ratione cuius illæ res materiales subsistunt, ut sumitur ex D. Thom. infra q. 6. artic. 1. ad secundum, & clarius q. 2. de potent. Dei art. 1. Hæc dubitatio pendet ex Metaphysica quæst. de modo subsistentiæ harum naturarum, quæ ex materia & forma materiali constant, an sit idem cum sola materia, seu illam tantum proximè, & immediate afficiat, & ab illa denominetur totum cōpositum; an vero sit idem cum tota natura constante materia & forma, & illam adequatè afficiat, atq; adeo veluti partialiter identificetur realiter cum materia, & forma, & utramq; afficiat. De qua re dixi in disputationibus Metaphysicis agens de natura & supposito, & infra in q. 6. iterum occurret. Supponendo ergo posteriorem modum, tanquam probabiliorē, dicendum consequenter est, naturam irrationalem ita esse assumptibilem à Verbo, ut per vniōnem Verbum proximè, & immediate vnietur totæ naturæ, & materiæ, & formæ ipsi: quamuis formæ non vnietur secundum se, sed solum ut componit totam naturam. Ita enim omnino censendum est fuisse vniū sanguini, & de cadauere Christi in triduo est id probabilius, quamuis non sit ita certum, quod pertinet ad vniōnem ipsius formæ cadaueris: ratio vero est, quia tota natura est, quæ trahitur ad subsistendum, & non tantum materia.

Refut. sic. Neque obstat quod forma huius naturæ non sit subsistens, inde enim solum habetur, non vniri secundum se, sed prout componit vnam naturam aptam ad subsistendum, differt autem inter formam vnitam secundum se, vel solum ratione totius naturæ, quod quando priori modo vnietur, ex vi illius vniōis manebit vnita Verbo, etiam si intelligatur non componere totam naturam: quomodo dicemus infra vniri animam rationalem, quia est subsistens, at vero quando vnitur ratione totius, habet modum vniōis pendente à toto, & ideo non vnietur, ut quod subsistit, sed solum, ut quo tota natura constituitur, & est apta ad subsistendum.

SECTIO III.

Virum partes substantiales possint hypostatice vniri diuine persone.

Questio hæc intelligi debet de partibus præcise sumptis, an assumi possint absque vniōe totius naturæ, nam vniōe ipsarum in toto, satis dictum est in præcedenti sectione. Versari autem potest questio de partibus integralibus, vel essentialibus Phisicis: Metaphysicæ enim partes nihil ad rem pertinent, quia cum illæ in re non habeant distinctam entitatē

A nec inter se, nec à toto, non aliter possunt assumi quàm in tota natura.

Dico primo: Materia prima per se assumptibilis est sine forma, atq; adeo sine natura integra, & cōpleta. Duobus modis potest intelligi hoc fieri, primo cōseruando materiam existentē in rerū natura sine vlla forma, & hoc modo vniedo illam Verbo: & hic modus supponit illam quæstionē Phisicam, a materia possit cōseruari sine forma, in qua ego scatio, multo probabilius esse, posse hoc fieri: quia reuera nulla est repugnantia, nec probabilis contradictio, quod breuiter declaro: quic materia prima omni forma substantiali carens, licet non habeat actū formalem, & hoc sensu dicatur pura potentia, habet tamē suum actum entitatum, & partialem existentiam in qua potest cōseruari sine forma, quia licet fortasse secundum ordinem naturæ à forma pendeat, non tamen pendet ab ipsa, ut causa intrinsece, ac formaliter constituyente entitatem eius. Et ideo potest Deus effectiue supplere illam dependentiam, sicut supplet in accidente dependentiam à subiecto, quando separatim illud cōseruat. Posito autem hoc casu, per se euident est, materiam sic existentem posse vniri hypostatice Verbo, quia talis materia esset subsistens, quamuis subsistentia partiali, hoc autē satis est, ut possit hypostatice assumi, sicut anima rationalis separata assumi potuit, quia subsistens est, licet per modum partis. Imo non desunt, qui putent ita factum esse in corpore Christi in triduo, quod ego non probo, ut suo loco dicam.

C Secundo modo posset intelligi casus huius conclusionis de ipsa materia existente in toto, & actu informatam per formam, ita ut quamuis materia sit æqualiter pars alicuius naturæ, nihilominus Deus vnietur soli materiæ, & non immediate ipsi formæ, nec toti naturæ, ut sic, sed tantum ratione materiæ. Et hoc etiam existimo esse possibile, quia materia, etiam cum actu componit totū, & informatur forma, est entitas subsistens propria subsistentia partiali, quam semper retinet, quamuis forma varietur: sicut retinet suam partialem existentiam, quæ non est existentia in alio sustentante, sed in se & per se, talis enim modus existendi fuit necessarius ipsi materiæ; ut posset eadem subsistere transmutatione formarum, cum ergo materia sit distincta à forma, etiam si sit illi coniuncta, nulla est repugnantia, quod Deus solam materiam assumat ad subsistendum, nō assumpta forma, & consequenter non assumpta tota natura. Quin potius in corpore Christi in triduo existimant aliqui nō improbabiler, ita factum esse: quia non videtur illis necessarium, ut forma cadaueris imperfectissima, & quæ statim abiicienda erat, immediate vniretur hypostasi Verbi Dei, sed tantum ratione materiæ, de quo infra dicetur.

Dico secundo, Forma substantialis separata à materia, vniri potest hypostatice Verbo Dei. Hæc conclusio explicari potest illis duobus modis, quibus præcedens explicata est. Primo, ut forma substantialis actu informans materiam præcise assumatur, nō assumpta materia proximè, & immediate, & consequenter nec tota natura: hic modus est quidem possibilis in anima rationali, quia est forma subsistens, etiam cū actu informat corpus, ut infra dicā, & ita procedit illa ratio superius facta de materia: at vero in alijs formis materialib. est res difficilior, & videtur certe probabile, non posse ita assumi, quia, cum non sint per se subsistentes, non possunt per se assumi ad subsistendum, nisi per se constituentur separatæ à materia, ut infra dicam: quamdiu autem sunt vnitæ materiæ, nō videntur capaces subsistentiæ, quia ille modus vniōis, & informationis intrinsece, & essentialiter includit dependentiam formæ informantis à materia, tanquam à sustentante, & ideo non potest forma materialis, simul ita informare materiā, & per se subsistere, sicut supra dicebam non posse

Materia prima dupliciter per se assumptibilis sine forma.

De assumptiōe formæ sine materia.

ac-

se accidens simul per se esse, & inharere: pari ergo ratione hæc forma actu informans, non videtur per se capax propriae unionis hypostaticæ, sed tantum in toto, seu ratione totius naturæ. Et hæc sententia est satis probabilis, quamvis opposita etiam possit probabiliter defendi, eo modo, quem statim subiiciam.

Secundo ergo potest conclusio intelligi de forma substantiali, separata à materia, & per se constituta, & sic, de anima rationali omnino certum, & de fide est, separatam posse uniri hypostatice Verbo: ita enim in triduo factum est, quia illa, natura sua, est per se subsistens, quod vero illa non subsistat, ut perfecta natura, sed ut pars tantum, & consequenter quod eius subsistentia naturalis imperfecta sit, & quasi partialis, non impedit quin Verbo uniri possit, quia illa imperfectio est per accidens ad rationem subsistentiæ, ut sic, & solum se tenet ex parte ipsius naturæ. Et hinc probabilius concluditur, idem fieri posse de potentia absoluta in quacunque forma substantiali, si per se conseruetur extra materiam, ut omnes fieri posse concedunt, multo facilius quam accidentia conseruetur extra subiectum. Et ratio est, quia forma substantialis sic separata haberet modum per se existendi, qui modus substantialis esset, atque adeo eiusdem rationis cum subsistentia: quamvis ergo hæc forma natura sua non sit subsistens, tamen de potentia absoluta separata est capax vere subsistentiæ, ergo eadem ratione posset uniri hypostatice Verbo. Et hinc fit, si eadem forma in diuersis locis constituitur, posse in vno actu informare materiam, in alio vero per se esse, vel hypostatice assumi. Addo denique, quia forma vel natura assumpta non omnino per se est, sed habet modum unionis ad personam assumentem, ideo probabile esse, hanc unionem non ita repugnare cum actuali informatione materiæ, sicut repugnat modus per se essendi, & ideo probabile est, hanc formam hoc ipso quod capax est huius unionis hypostaticæ, posse ad illam assumi, etiam si actu informet, quamvis fortasse propriam subsistentiam, seu per se existentiam habere non possit, dum actu informat, in eodem scilicet tempore, & loco, &c. Sic enim supra dicebamus, non posse eandem naturam simul per se esse, & uniri alteri personæ, quamvis possit simul duabus personis uniri: & hoc modo potest facile defendi prior sensus huius conclusionis.

Dico tertio, Pars integralis, ut cor, caput, &c. assumi potest line alijs partibus. Hæc conclusio intelligi debet de parte actu unita, nam si sit actu diuisa, iam non est pars, seu aliqua completa natura, unde non est dubium quin possit assumi. Probatur ergo conclusio, quia hæc pars subsistit in toto, saltem partialiter, habet enim suam partialem modum per se essendi, qui solum propter continuationem cum alia parte, non est integra subsistentia, ergo potest illa pars uniri Verbo, & amittere illum partialem modum per se essendi: & Verbum poterit terminare, & quasi sustentare partem illam, non terminando reliquas. Neque propterea Verbum esset pars, sicut nec dicitur esse anima, aut sanguis, quia denominatio partis non est denominatio suppositi, sed naturæ incompletæ. Neque etiam subsistentia Verbi denominaretur partialis, quia ipsa non continuaretur, nec per se uniretur cum subsistentia aliarum partium; sed solum esset subsistentia vnus partis, quæ continuaretur, & uniretur cum alijs partibus, ad componendam vnā naturam, non ad componendam partem subsistentiam.

Contra hæc conclusiones nullas video obiectiones: aliquæ momenti, & ideo prætermitto nonnullas, quæ hic inculcari possent, sunt enim parum vtilia, & non difficile expediti possunt præceptis his, quæ dicta sunt.

Utrum forma accidentalis possit uniri Verbo hypostatice.

DVobis modis intelligi possunt accidentia assumi, vno modo proxime, & per se, ita ut vel immediate existant per ipsammet existentiam personæ assumentis, vel saltem ipsum Verbum per se terminet aliquo modo immediate & proxime existentiam ipsorum accidentium. Secundo modo possunt assumi tantum mediate, quia videlicet insunt in natura assumpta, quamvis non habeant immediatam aliquam unionem cum Verbo: & hic modus vocari potest, ut supra quæst. 2. dicebamus, unio in hypostasi, prior vero secundum hypostasim, de unione ergo in hypostasi non est dubium, quin sit possibilis, quia de facto ita fuit in Christo, ut infra dicitur: quæstio ergo hic est de unione secundum hypostasim, & communiter tractatur de accidente separato à subiecto, & hoc sensu prius definitur, & inde facile constabit, quid dicendum sit de accidente actu inharere.

Prima ergo sententia affirmat, posse Deum sibi hypostatice unire accidens separatum à subiecto. Ita tenet Marfil, in 3. quæst. 3. art. 1. quamvis sub dubio. Idem Almain, dist. 2. quæst. 3. Maior, quæstion. 3. Gabriel, distinct. 1. quæst. 2. art. 2. ad 7. dicit, si Deus potest assumere irrationalem naturam, posset etiam assumere accidentalem. Fundamentum est, quia accidens separatum habet modum per se essendi, similem subsistentiæ, ergo potest Deus accidens sibi unire ad supplendum illum modum, non per inharerentiam, sed per modum hypostaticæ unionis, sicut enim sustentare accidens, nullam imperfectionem dicit in sustentate, sed supponit potius perfectionem. Nec potest facile assignari repugnantia, vel implicatio, quam hic modus inuoluat. Et confirmari hoc potest in opinione eorum, qui existimant hanc unionem fieri ad existendum: si enim Deus facit, ut anima existat existentia increata, cur non poterit facere, ut eadem albedo existentia existat? Neque enim propterea existentia diuina fieret accidentalis, sicut neque sit existentia creata, aut materialis, etiam si formam creatam, vel materiale assumat. Nec sequitur in eo casu Deum denominari album, vel quid simile, sicut nec denominatur animagens: etiam si animam hypostatice unitam habeat: quia illa denominatio sumitur à forma, ut in informante, vel in inharere, non ut subsistente. Neque etiam diceretur albedo, quia hoc est nomen naturæ, non suppositi, sicut supra in simili dicebamus.

Nihilominus probabilius mihi videtur, formam accidentalem non posse uniri hypostatice Verbo. Hanc sententiam tenet Basolis in 3. distinct. 2. quæst. 1. artic. 2. & Palacios, q. 1. qui afferunt plures rationes, quibus omittis, ita breuiter illam proba, quia in primis non potest forma accidentalis assumi ad existendum existentia Verbi, quia hic modus unionis omni naturæ repugnat, tam accidentali, quæ substantiali, ut infra quæst. 17. late probabitur: quamquam fortasse quoad hoc non sit specialis repugnantia in forma accidentali, ut quædam confirmatio supra facta probabiliter ostendit. Deinde accidens existens, non potest quoad modum existendi terminari subsistentia diuina: quia quamvis accidens separatum per se aliquo modo constituitur, tamen ille modus per se essendi, non est vera subsistentia, sed est modus in se accidentalis, quia entitas accidentalis non est capax modi substantialis, ergo forma accidentalis est omnino incapax subsistentiæ, & consequenter etiam est incapax subsistentiæ unionis, ergo non potest ad illam fieri unio secundum subsistentiam, quæ intrinsece, & essentialiter substantialis est. Et confirmatur, & explicatur varijs modis. Primo, quia accidentis

ciens non potest vniri ad componendum vnum A
per se, & multo minus ad componendam vnam per-
sonam: at verò vno cuiuscunque naturæ creatæ cū
Deo, tantum esse potest per modum vnius substanti-
æ, vel personæ. Secundo, quia substantia non potest
vlla ratione poni in alio per modum inherētis,
quia hoc pugnat cum natura substantiæ, quæ omni-
no est incapax tales modi essendi (& ideo licet hu-
manitas sit in Verbo diuino, non tamen inherendo,
sed alio modo accommodato substantiæ) ergo pari-
ratione natura accidentalis non potest trahi ad sub-
stantiæ. Tercio intelligi non potest, punctum im-
mediate terminare corpus, & superficiem, quia non
est proportio, nec capacitas, ergo simili modo, &c.
Et per hæc satisfactum est fundamento contrariæ
sententiæ, iam enim ostensum est hypostaticam v-
nionem repugnare accidenti, quia non est capax sub-
stantialis vnionis. Quod autē ibi dicitur sustentare
perinere ad perfectionem: respondetur hoc esse
quoddam commune, & analogum, quod in re po-
ni non potest, nisi in aliqua specie, seu particulari mo-
do sustentandi: ita ergo vnum sustentet aliud per mo-
dum subiecti, imperfectum quid, & potentiale esse
necesse est, & ideo non potest hic modus conuenire
diuinæ personæ: ita autem sustentet per modum sub-
positi, est quidem hic perfectus modus, excedit ta-
men imperfectam naturam accidentis, quæ non est
capax illius: alius autem modus sustentandi, qui sit
per veram vnionem, & intrinsecam, nec intelligi,
nec fingi potest.

Et ex his à fortiori colligitur, accidens actu inhæ-
rens suffecto multo minus posse immediate vniri
personæ diuinæ, quia & ratione imperfectæ naturæ
non est capax huius vnionis, vt dictum est, & ratio-
ne actualis inhærentiæ, habet maiorem quandam
repugnantiam cum huiusmodi vnione.

Q V Æ S T I O V.

De modo vnionis ex parte partium huma-
næ naturæ, in quatuor articulos
diuisa.



Inde considerandum est de assumptione par-
tium humanæ naturæ.

Et circa hoc queruntur quatuor.

Primo, vtrum filius Dei debuerit assumere
verum corpus.

Secundo, vtrum assumere debuerit corpus terrenum scilicet
carnem & sanguinem.

Tercio, vtrum assumpsit animam.

Quarto, vtrum assumere debuerit intellectum.

R Estotaquam in hac quæstione D. Thom. tractat,
fere explicata fuerat quæstione præcedenti, so-
lum enim ostendit partes phicas, & essentielles hu-
manæ naturæ assumptas fuisse à Verbo quod fere ex
superioribus constabat: quia non poterat humana
natura assumi, nisi conlās ex partibus essentialibus,
tamen D. Thom. ad refellendos aliquos errores, &
vniuscuiusque rei propriam rationem reddendam,
hanc quæstionem mouet: quæ adeo clara est, vt cir-
ca literam nihil ferè commentari oporteat.

A R T I C V L V S I.

Vtrum Dei filius debuerit assumere verum corpus.



Primum sic proceditur. Videtur, quod
filius Dei non assumpsit verum corpus,
Dicitur enim Philip. 2. quod in similitudi-
nem hominum factus est: Sed quod est se-
cundum veritatem, non dicitur esse secun-

dum similitudinem. Ergo Filius Dei non assumpsit verum corpus.

2. Præterea, Assumptio corporis in nullo derogauit digni-
tati diuinitatis: dicit enim Leo Papa in sermone de Natuit.
quod nec inferiorem naturam consumpsit glorificatio, nec
superiorem minuit assumptio: Sed hoc ad dignitatem Dei per-
tinet, quod sit omnino à corpore separatus: Ergo videtur quod
per assumptionem non fuerit Deus corpori vnitus.

3. Præterea, Signa debent respondere signatis: Sed appa-
ritions veteris Testamenti, quæ fuerunt signa apparitionis
Christi, non fuerunt secundum corporis veritatem, sed secun-
dum imaginariam visionem: sicut patet Isai. 6. Vidi Domi-
num sedentem, &c. Ergo videtur quod etiam apparitio Filij
Dei in mundo, non fuerit secundum corporis veritatem, sed
solum, secundum imaginationem.

Sed contra est quod dicit Augustinus* in lib. 83. quæst. Si
phantasma fuit corpus Christi, fessit Christus: Et si fessit,
veritas non est. Est autem veritas Christus. Ergo non fuit
phantasma corpus eius. Et sic patet, quod verum corpus as-
sumpsit.

Respondeo dicendum, quod sicut dicitur in lib. de Ecclési-
astica* dogmatibus, natus est Dei filius, non putatiue, quasi
imaginatum corpus habens, sed corpus verum.

Et huius ratio potest tripliciter assignari. Quarum prima est
ex ratione humanæ naturæ, ad quam pertinet verum corpus
habere. Supposito igitur ex præmissis* quod conueniens fuerit

Filius Dei assumere humanam naturam, & consequens est
quod verum corpus assumpsit. Secunda ratio sumi potest ex
his, quæ in mysterio incarnationis sunt acta. Si enim non fuit
verum corpus eius, sed phantasticum, ergo nec veram mortem
sustinuit, nec aliquid eorum, quæ Euangelistæ de eo narrant
secundum veritatem gessit, sed solum secundum apparentiam
quandam. Et sic etiam sequeretur, quod non fuerit vera salus
hominis subsecuta: oportet enim effectum causæ proportionari.
Tertia ratio potest sumi ex ipsa dignitate personæ assumptæ:
quæ cum sit veritas: non decuit, vt in eius opere aliqua fictio
esset. Vnde & Dominus hunc errorem per seipsam excludere
signatus est, Luca ultimo, cum Discipuli conturbati, & con-
territi putabant se spiritum videre, & non verum corpus: &
ideo se eis palandum præbuit, dicens, Palpate & videte:
quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis ha-
bere.

Ad primum ergo dicendum, quod similitudo illa exprimit
veritatem humane naturæ in Christo, per modum, quo omnes
qui verè in natura humana existunt, similes specie esse di-
cuntur: non autem intelligitur similitudo phantastica. Ad
cuius evidentiam Apostolus subiungit, quod factus est obediens
vsque ad mortem, mortem autem crucis, quod fieri non po-
tuerat, si esset sola similitudo phantastica.

Ad secundum dicendum, quod per hoc, quod filius Dei ve-
rum corpus assumpsit, in nullo est eius dignitas diminuta. Vn-
de Augustinus* dicit in libro de fide, ad Pe. Exinanitus sei-
psum formam serui accipiens, vt fieret seruus: sed forma Dei
plenitudinem non amisit. Non enim Filius Dei sic assumpsit
verum corpus, vt forma corporis fieret, quod repugnat diuinæ
simplicitati & puritati. Hoc enim esset assumere corpus in v-
nitatem naturæ, quod est impossibile, vt ex supra dictis patet
& Sed salua distinctione natura assumpsit corpus in vnitatem
persona.

Ad tertium dicendum, quod figura debet respondere rei
quantum ad similitudinem, non quantum ad rei veritatem.
Si enim secundum omnia esset similitudo, iam non esset
signus, sed ipsa res: vt Damascenus* dicit in tertio
libro. Conueniens ergo fuit, apparitions veteris Te-
stamenti esset secundum apparentiam, quasi figura: ap-
paritio autem Filij Dei in mundo esset secundum cor-
poris veritatem, quasi res figurata per illas figuratas.

Vnde

31.
infra ar. 2.
et q. 14.
ar. 1. c. 3.
et q. 1. ar.
391. c. 3.
et q. 1. ar.
et q. 1. ar.

Cap. 1. de
clin. ad fin.
tom. 3.

Quæst. 2.
ar. 1. c. 2.

Lib. 3. cap.
26. circa fi.